

EPÍSTOLA  
B. PAULI APÓSTOLI  
AD PHILÉMONE M.

SCRIPTA est Roma è primis vinculis, quorum quinquies meminit: anno à Christi morte 29. Era vulgaris 62. unà cum Epistola ad Colossenses Tychico ad perferendum traditã. Erat autem Philemon vir clarus apud Colossenses, Pauli discipulus, cuius servus Onésimus, Phryx genere, furto factò, ut ex vers. 18. Hieron. Theodoret. & Theophylactus colligunt, Romam profugerat. Mox verò utriusque criminis fuga & furti penitentiã ductus, ad Paulum captivum, quem hero suo noverat esse amicum, se contulit. Ab eo susceptus & fidem edoctus, tandem baptizatus est, cui etiam ministravit in carcere, donec satis in pietate confirmatum remittere eum Philemoni visum est, cum his litteris commendatitiis, in quibus miro artificio, ingentique studio id agit, ut eum dominus in gratiam recipiat. Receptus verò in virum evasit eximium, ita ut post Timotheum Ephesiorum Episcopus sit creatus, quem mirificè collaudat sanctus Ignatius datã ad eos Epistolã. Sub Traiano denique Roma martyrium gloriòse consummasse creditur.

Philemoni, cuius charitatem ac fidem collaudat, Onésimum, servum ipsius, remittit; quem illi commendat, eius culpam in se recipiens, & indicans se cupere ipsum habere, ut sibi ministret in Evangelij prædicatione.

1. **P**aulus vincus Christi Iesu, & Timotheus frater: Philemoni dilecto, & adiutori nostro,
2. & Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ, quæ in domo tua est.
3. Grátia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Iesu Christo.
4. Grátias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis,
5. audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Dómino Iesu, & in omnes sanctos:
6. ut comunicatio fidei tuæ évidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Iesu.
7. Gaudium enim magnum habui, & consolatióem in charitate tua: quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater.
8. Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet:
9. propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus fenex, nunc autem & vincus Iesu Christi:
10. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onésimo,

11. qui tibi aliquandò inútilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi útilis,

12. quem remisisti tibi. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe:

13. quem ego volueram tecum detinere, ut pro te mihi ministrarem in vinculis Evangelij:

14. sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.

15. Forsitan enim idèd discèssit ad horam à te, ut aeternum illum reciperes:

16. iam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maxime mihi: quanto autem magis tibi & in carne, & in Dómino?

17. Si ergo habes me sócium, suscipe illum sicut me:

18. Si autem aliquid nócuít tibi, aut debet: hoc mihi imputa.

19. Ego Paulus scripsi meã manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod & teipsum mihi debes:

20. ita frater. Ego te fruar in Dómino: Réfice viscera mea in Dómino.

21. Confidens in obediéntia tua scripsi tibi: sciens quóniam & super id, quod dico, facies.

22. Simul autem & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.

23. Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Iesu,

24. Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas, adiutores mei.

25. Grátia Dómini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

EPÍ-

EPÍSTOLA  
B. PAULI APÓSTOLI  
AD HEBRÆOS.

SCRIPTA videtur eodem ferè tempore quo Epistola ad Philemonem & ad Ephesios, anno scilicet Era nostræ 62. à morte Christi 29. sub finem illius biennij, quo Paulus Roma primum vincus est, cum causã apud Neronem feliciter peractã, Timotheus iam esset solutus, cap. 13. 23.

Fuere qui negarunt Epistolam hanc esse Pauli, quòd ea neque phrasim, neque genium eius referat, eamque potius Barnaba ascriberent, in quibus est Tertullianus. Verùm historia Apostolica Barnabam Romam vel Italiam adisse non memorat, neque ei usquam Timotheum adiungit socium. De stylo multi cum ex antiquis tum ex recentioribus sic censent; sensus quidem & dispositionem esse Pauli, phrasim verò & elocutionem vel Clementis, vel ipsius Luca potius, quòd ex multis vocabulis ipsi peculiaribus ac sermone composito & eleganti conjiunt. Ut enim epistola hac bene Græca est, & florida, ita sermo Luca, ubi non Christi aut Apostolorum verba refert.

Nomen verò suum pro more initio non apposuit Apostolus, vel quia sciebat se Hebræis invisum, vel quia non tam Hebræorum se, quàm Gentium Apostolum profitebatur; vel denique quia scripserat non tam Epistola instar quàm libri. Unde in fine dicit: Perpaucis scripsi vobis. Quòd enim ad Epistolam prolixum, id ad volumen parum est. Hic autem duo potissimum agit Apostolus. Partim enim docet quæ Christi dignitas & quod officium, quaque sacerdotij eius & sacrificij supra Leviticum excellentia. Partim verò consolatur Hebræos, & ad perseverantiam fidei in Christum hortatur.

CAPUT PRIMUM.

Apostolus hoc in capite Christi excellentiam præ Angelis, & divinitatem eius demonstrat.

† IN NATIV. DOMINI AD 3. MISS.

1. **M**ultifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis:
2. novissimè, diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit & sæcula:
3. \* qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis:
4. tantò melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit.
5. Cui enim dixit aliquandò Angelorum: \* Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: \* Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium?
6. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: \* Et adorent eum omnes Angeli Dei.
7. Et ad Angelos quidem dicit: \* Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.

\* Sap. 7. 26.

\* Psalm. 2. 7.

\* 2. Reg. 7. 14.

\* Psalm. 96. 7.

\* Psalm. 103. 4.

8. Ad filium autem: \* Thronus tuus Deus in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui.

9. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.

10. Et: \* Tu in principio Dómine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.

11. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut vestimentum veterascent:

12. & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

13. Ad quem autem Angelorum dixit aliquandò: \* Sede à dextris meis, quoad usque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

14. Nonne omnes sunt administratores spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?

CAPUT II.

Probata Christi divinitate, concludit Apostolus legem eius servari oportere; tum agit de passione Christi, per quam de morte & diabolo triumphavit.

1. **P**ropterea abundantius oportet observare nos ea, quæ audivimus ne fortè perefluamus.

2. Si

2. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio; & inobediencia accepit iustam mercedis retributionem:

3. quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est,

\* Marc. 16. 20. 4. \* contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.

5. Non enim Angelis subiicit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.

\* Psal. 8. 5. 6. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: \* Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum?

7. Minuisti eum paulominus ab Angelis: gloriâ & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum.

\* Matth. 23. 18. 1. Cor. 15. 26. 8. \* Omnia subiicisti sub pedibus eius: In eo enim quod omnia ei subiicit, nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei.

\* Phil. 2. 8. 9. \* Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum: ut gratiâ Dei, pro omnibus gustaret mortem.

10. Decēbat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriâ adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.

11. Qui enim sanctificat, & qui sanctificatur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens:

\* Psal. 21. 23. 12. \* Nunciabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.

\* Psal. 17. 3. 13. Et iterum: \* Ego ero fidens in eum. Et iterum: \* Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus.

\* Isai. 8. 18. 14. Quia ergo pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem: \* ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum:

\* Osee 13. 14. 1. Cor. 15. 54. 15. & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.

16. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit.

17. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.

18. In eo enim, in quo passus est ipse

& tentatus, potens est, & eis, qui tentantur, auxiliari.

## CAPUT III.

*Móyses in domo Dei ut famulus, Christus ut Filius. Ne corda nostra obdurémus, ut Iudæi.*

1. **U**Nde fratres sancti, vocationis cælestis participes, considerate Apóstolum, & pontificem confessionis nostræ Iesum:

2. qui fidelis est ei, qui fecit illum sicut & \* Móyses in omni domo eius. \* Num. 12. 7.

3. Ampliōris enim gloriæ iste præ Móyse dignus est habitus, quanto ampliōrem honorem habet domus, qui fabricavit illam.

4. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est.

5. Et Móyses quidem fidelis erat in tota domo eius tamquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant:

6. Christus verò tamquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriâ spei usque ad finem, firmam retineamus.

7. Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: \* Hodiè si vocem eius audieritis,

8. nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto,

9. ubi tentaverunt me patres vestri: probaverunt, & viderunt opera mea

10. quadraginta annis: Propter quod infensus fui generationi huic, & dixi: Semper errant corde. Ipsi autem non cognoverunt vias meas,

11. sicut iuravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.

12. Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discendendi à Deo vivo:

13. sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodiè cognominatur, ut non obduratur quis ex vobis fallacia peccati.

14. Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ eius usque ad finem firmum retineamus.

15. Dum dicitur: Hodiè si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione.

16. Quidam enim audientes exacerbaverunt: sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Móysen.

17. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis, qui peccaverunt,

\* Num. 14. 37. runt, \* quorum cadavera prostrata sunt in deserto?

18. Quibus autem iuravit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt?

19. Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

## CAPUT IV.

*Quid sit sabbatum spiritale ingredi, & in Deo quiescere. Perstat in exemplo allato eorum qui perierunt in deserto, quibus facta fuerat promissio, ut nobis per Christum facta est.*

1. **T**imeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex vobis deesse.

2. Etenim & nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis. sed non profuit illis sermo auditus, non admittus fidei ex iis, quæ audierunt.

\* Psal. 94. 11. 3. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodum dixit: \* Sicut iuravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione mundi perfectis.

\* Gen. 2. 2. 4. Dixit enim in quodam loco de die septimâ sic: \* Et requievit Deus die septimâ ab omnibus operibus suis.

5. Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam.

6. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ii, quibus prioribus annunciatum est, non introierunt propter incredulitatem:

7. iterum terminat diem quemdam, Hodiè, in David dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est: \* Hodiè si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.

8. Nam si eis Iesus requiem præstitisset, numquam de alia loqueretur, posthac, die.

9. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.

10. Qui enim ingressus est in requiem eius: etiâ ipse requievit ab operibus suis, sicut à suis Deus.

11. Festinemus ergo ingredi in illam requiem: ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.

12. Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medul-

larum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.

13. \* Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.

14. Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit caelos, Iesum filium Dei: teneamus confessionem.

15. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

16. † Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniâmus in auxilio opportuno.

## CAPUT V.

*Superiori capite Apóstolus illud insinuavit, Christum novæ legis summum esse Pontificem; idque in hoc capite fidei probandum suscipit.*

1. † **O**mnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis:

2. qui condolare possit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate:

3. & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiâ & pro semetipso offerre pro peccatis.

4. \* Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.

5. Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: \* Filius meus es tu, ego hodiè genui te.

6. Quemadmodum & in alio loco dicit: \* Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

7. Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia:

8. Et quidem cum esset Filius Dei, dicit ex iis, quæ passus est, obedientiam:

9. & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, 10. appellatus à Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech.

11. De quo nobis grandis sermo, & in-

\* Psal. 33. 16. & 17. Eccli. 15. 20.

† IN MISS. PRO ELECTIONE PONTIF.

† SANCT. THOMÆ EPISC. ET MART. Item, IN COMM. CONFESS. PONTIF. & IN ANNIVERS. ELECT. SEU CONSECRET. EPISC. \* Exod. 28. 1. 2. Par. 26. 18. \* Psal. 2. 7.

\* Psal. 109. 4.